



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Veronensi Episcopo, Romanae Ecclesiae Cardinali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

inquiras de præmissis diligenter veritatem, & si rem inveneris taliter se habere, cùm ex hoc præfatus sacerdos dignoscatur nullius culpæ maculam contraxisse, auctoritate nostra des ei licentiam celebrandi. Datum Laterani.

VERONE NSI EPISCOPO,  
Romane Ecclesie Cardinali.

Epist. 218.  
Vt pertinaces  
heretici pu-  
niantur, & refi-  
piscere volen-  
tibus gremium  
Ecclesie non  
præcludatur.

\* Cataros.

**L**Icet in agro patris familias evangeliici zizania sæpe pullulent inter mesiles, & vineam domini Sabaoth interdum nitatur tinea demoliri; sic tamen prudens agricola vinitiorque discretus falubre debet remedium invenire, ne vel triticum ebellatur inter zizania, vel in dejectione tineæ vinea corrumpatur. Si militer etiam, licet ad abolendam hæreticam pravitatem invigilare debeat sollicitudo pastoris, sollicitè tamen debet attendere ne vel damnet innoxios, vel nocentes absolvat. Accepimus autem quod auctoritate litterarum nostrarum, quas dilectis filiis nostris Archipresbyteris & Canonicis Ecclesiæ tuae contra \* Gazaros, Arnaldistas, Pauperes de Lugduno, & Humiliatos, qui nondum redierunt ad mandatum apostolicæ sedis, & hæreticos universos direximus, dictus Archipresbyter tam contra Humiliatos quam universos hæreticos, sine distinctione quam posueramus in litteris nostris, excommunicationis sententiam promulgavit: cuius occasione sententia nonnulli quosdam qui, licet inviti, à populo Humiliati dicuntur, licet nullam hæresim, sed fidem, sicut dicitur, sapiant orthodoxam, & in humilitate cordis & corporis studeant Domino famulari, qui etiam in manibus tuis stare mandatis Ecclesiæ juraverunt, evitant, & eis tanquam excommunicatis communicare sicut haec tenus non præsumunt. Quia vero non est nostra intentionis innoxios cum nocentibus condemnare, fraternitati tua per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus tales ad tuam præsentiam convokes, & inquiras tam ab aliis de vita & conversatione ipsorum, quam ab eis de articulis fidei & aliis quæ videris inquirendæ, & si nihil senserint quod sapiat hæreticam pravitatem, eos catholicos esse denunties, & prædicta sententia non teneri. Quod si forsitan aliquid contra fidem sapiant orthodoxam, & parati fuerint ab errore discedere, ac mandatis apostolicis obe-

dire, recepto ab eis juxta formam ecclesiæ juramento, quod solet à talibus exhiberi, beneficium eis abolutionis impendas, mandans eisdem sub debito juramenti præstigi ut errorem quem approbaverant, publicè improbent, & in aliis studeant pro viribus confutare, de cetero etiam fidem orthodoxam servent, & sedem apostolicam venerentur. Datum Laterani VIII. Idus Decembris.

B. PISTORIENSI EPISCOPO.

**A**Nobis tua fraternitas requisivit utrum ab illis decimas exigere debeas qui possessiones dant vel recipiunt ad affictum, cum alijs se contentur per alios excusare quod minus cogantur ad decimas persolvendas; quid etiam sit de mulieribus in episcopatu tuo Presbyteris in capellis sub conversationis specie cohabitantibus faciendum, unde infamia irrogatur ordini Clericorum. Cùm igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exceptus, fraternitati tuae duximus respondendum quod à dantibus possessiones & accipientibus ad affictum, de fructibus quos percipiunt decimæ sunt solvenda, nisi ab eis aliquid ostendatur quare ab hujusmodi sint immunes. Cum Clericis quoque non permittas mulierculas habere; nisi forte de illis personis existant in quibus naturale feedus nihil permitit cœvi criminis estimari. Datum Laterani IV. Nonas Decembris.

Epist. 219:  
Qualiter deci-  
ma per solven-  
da sit.  
Cap. A nobis.  
De Decimis.

L. 44. De Episc.  
& Cler. in Cod.  
Theodos.

ZEGLENNSI EPISCOPO.

**C**VM facti simus secundum Apostolum sapientibus & insipientibus debitores, honori fratrum & coepiscoporum nostrorum, quos apostolica sedes in partem sollicitudinis evocavit, tanto abundantius deferre volumus & optamus, quanto propter eminentiam dignitatis à nobis & aliis sunt propensi honorandi. Ea propter, venerabilis in Christo frater, tuis justis petitionibus inclinati, præsenti pagina tibi duximus indulgendum ne quipiam Prælatorum, nisi pro manifesta & rationabili causa, excommunicationis vel suspensionis in te, quem nos, licet indigni, propriis manibus consecravimus, sententiam valeat promulgare. Nulli ergo &c. Datum Laterani XII. Kal. Decembris.

Epist. 230.  
Quod non fa-  
cile excommu-  
nicari possit.